



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 57. Descriptio Taboritarum ab Ænea Sylvio facta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

quitem Bohemum. Ænea latine perorante, tam solidis argumentis Imperatoris juvenem Ladislaum penes se detinentis consilium vindicavit, ut Bohemi de æquitate facti persuasi, non solum Cæsaris voluntati cesserint, sed etiam ex sua nobilitate primarios adolescentes Bohemos dare decreverint, qui Fridericum in Italiam euntem comitarentur, & juvenem Regem cultu debito prosequerentur.

Secul. XV.  
A.C. 1451.

§. LVII.

*Descriptio Taboritarum ab Ænea Sylvio facta.*

Confecerat Æneas Sylvius itineris sui ad Bohemos relationem, quam Carvajallo Cardinali ibidem Legato transmisit. Enarrat ibi, quid sibi suoque socio ad præfatum conventum euntibus in via apud Taboritas contigerit, quod sane ad dignoscendos hæreticorum mores, ac Bohemorum indolem ipsis perutile erat. Scribit itaque Cardinali: cum ego, meusque socius raptores, atque insidias in itinere aliquando timeremus, ad vicinos Taboritas potius, quam apud ceteros, equidem magis astutos, minus tamen crudeles pernoctare maluimus. Accepere hæc Taboritæ lætis animis, fidemque dederunt, nullum omnino damnum se nobis illaturos. Res, inquit, Æneas spectata-

*Æn. Sylv.  
epist. 130.*

Sæcul. XV. A. C. 1451. spectaculo digna fuit, rusticum hoc ac incompositum vulgus urbanitatem affectare; ingressus quoque noster in urbem relatu dignus est. Nam quamvis frigus esset, & pluviale tempus, nihilominus ex illis aliqui nudi incedebant solis tecti indusiis, alii numero tamen paucissimi pelliceas tunicas induerunt, alii equo vehantur, sed sine ephippio, alii absque fræno, huic oculus erutus, illi manus abscisæ. Incedendi promiscuus, imo nullus ordo, loquendi nulla modestia, & rusticano ac barbaro ritu invicem verba miscebant. Obtulerunt tamen quadam urbanitatis specie xenia, pisces, vinum, atque cerevisiam.

Demum subjungit Æneas, quæcunque deteguntur inter Christianos impietatis, ac blasphemiarum monstra, huc confugiunt, asylumque habent; ubi tot sunt hæreses, quot capita, & est libertas credendi, quæcunque velis. In exteriori civitatis porta duo fuerunt scuta, in altero eorum visebatur pictura Angeli calicem tenentis, quasi communionem sub utraque specie suaderet populo, in altero scuto Zischa pictus erat, cujus effigiem Taboritæ numinis loco habere videntur, quamvis ceteroquin omnes imagines abominentur. Postea Æneas & res Zischæ, & Taboritarum hæreses, necnon urbium suarum situm atque munitiones

tionem describere pergit, carpitque Sigis-  
mundum, quod eos, quos exterminare  
debuerat, non solum liberos fecisset, ve-  
rum etiam bona Nobilium & Monasterio-  
rum perpetuo jure eis possidenda reli-  
quisset (\*), tandem, prosequitur Æneas,  
cum gens ista, non tantum Calicis dog-  
mate a Catholicis discerneretur, sed e-  
tiam vere hæretici, & in omnibus Wi-  
clesitarum veneno infecti essent, pro-  
tinus inde discedere consultum duximus,  
nec ullus nostrum sacris operatus est, etsi  
dies Dominicus esset, ne Taboritæ glo-  
riari possent, Catholici Imperatoris Lega-  
tos cum iis communicasse in divinis.

## §. LVIII.

*Æneæ Sylvii colloquium cum Podiebracio.*

Æneas eodem itinere colloquium mis-  
cuit cum Podiebracio, Procopio e-  
jusdem verba patria lingua interpretan-  
te. Frequens, longusque inter eos ha-  
bitus est sermo de communione sub u-  
traque specie, & de conventis cum E-  
piscopo Constantiensi; Agebant etiam de  
Bullis ad Archiepiscopatum Pragensem  
pro Rochisana, deque aliis ad Religionem  
&

(\*) Quam fatali necessitate ad id coactus  
fuisse Sigismundus, jam alibi annotavimus.